



**Rigor Moderatus Doctrinæ Pontificiæ Circa Usuras A SS.
D. N. Benedicto XIV. Per Epistolam Encyclicam Episcopis
Italiæ Traditus**

Specimina ulteriora exhibens Moderationis Pontificiæ, à P. Concina violatæ

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii, 1751

Specimen III. Moderationis Pontificiæ, de Authoribus contrariæ sententiæ
sine Censura & Contumelia impugnandis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63780](#)

214 CAP. III. *De Contumeliis in Authores contrarios.*

turus sit Clarissimus hic Casuista, dum Adversarios fidenter provocando ait: *hæc si probaverint, manus vietas do, méque istius controversæ ignorantissimum declaro.* (b) Tam acerbam declarationem non exspectamus: sufficit nobis, si læsæ *Moderationis Pontificiæ* se reum declaret circa Contractus, per quos pecunia collocatur ad lucrum.

- (a) *De usur. contr. trin.* fol. 6.
(b) *Ibid.*



C A P U T III.
Specimen III. Moderationis

§. 308.

Erga Authores contrarios TACET PONTIFEX AUCTORES CONTRARIÆ SENTENTIÆ, EOSQUE CENSURIS AC CON-TUMELIIS NOTARI VETAT. (*Diss. I. §. 15. 20.*)

§. 309.

P. Concinna

Dum scripseram, quæ hucusque de Contractibus dicta sunt, afferuntur ad me Tomi novem *Theologiae Christianæ Dogmatico-Moralis* Auctore F. Daniele Concinna: in quibus iteratam mei nominis, & primæ Dissertationis de Rigore Moderato circa usuras mentionem reperio. Mox consilium cepi, foliorum, quæ huic Capiti Tertio destinata erant, potiorem partem impendendi Responsoni ad Digressiones Concinianas circa dictam meam Dissertationem primam *Theologiae Christianæ* insertas. Eo libentiū paucis solummodo verbis læsam *Moderationem Pontificiam* erga alios Authores exhibeo, quo plura immoderati calami

Coh-

Conciniani specimina in Dissertatione mea secunda, & hac tertia jam passim sunt obvia. Molestum esset mihi, ea longiori sermone repetere, aliis repetita legere. Suasum tamen mihi est, ut Dissertationis primæ causam agam. Nonnulli enim, qui Theologiam Concinianam ad manum non habent, scire optant, quid demum hic Author illi opponat: alii, qui lustrarunt hos tomos, exigunt responsonem publicam, sine qua quispiam non ex causæ cognitione, cui discussiæ fortè nec studium, nec ingenium affert, sed ex cæcis affectibus judicandi & errandi periculum subire posset. Duabus igitur Sectionibus absolvetur hoc Caput. In prima exhibebuntur pauca specimina lœsæ Moderationis contra alios Authores. In Secunda Respondebitur ad ea, quæ P. Concinna contra meam Dissertationem primam variis Tomis Theologiæ suæ immiscuit.

SECTIO I.

Specimina lœsæ Moderationis Pontificiæ contra alios Authores.

§. 310.

Quanta Moderatione SS. Pontifex BENEDICTUS XIV. Moderationem
erga Viros doctos, etiam falsarum opinionum asser-
tores, utatur, ex præstantissimis Ejusdem operibus Pontifi-
ciam
passim elucet. Nam, ut bene notat Interpres eximii operis
de Festis D. N. J. C. in Praefatione, huic Sapientissimo Au-
to-
ri persuasissimum est, injuriis & maledictis nihil quidquam profici.
Idem Moderationis spiritus resplendet in Literis Encyclicis de
usuris, ubi non solum prohibet contumelias in contrariae
sententiæ Authores, quia convitia atque injuria vinculum Chri-
stianæ charitatis infringunt, & gravissimam populo offendunt, &
scan-